

ritate dicenda.—7.^o Insertionem in actis petitionis actoris, seu querelæ accusantis scripto aut verbo propositæ.

IN EXTRAVAGANTICUS JOANN. XXII.—Ibì tit. XIV.

Cap. 1. *Quorundam*.—Declarat relinquendum esse iudicio superiorum de qua vitalitate debeant esse indumenta Fratrum minorum, præcipiens sub pœna excommunicationis illis obedire, et reprehendens Fratres, qui pro arbitrio suo habitus breves, strictos et novitatis plenos portabant: qui transgressores regulæ non dicentur, si in hoc Superioribus obsequuntur: Superiores arbitrari posse, an habenda sint granaria, et cellaria pro necessariis ad victum colligendis.—Concordat cap. *Exiit* et *Exiivi* suprâ. "

2. *Quia*.—Præmisso qualiter glossantes cap. *Exiit*, excommunicationem ipso facto, non obstantibus quibuscumque privilegiis, incurrunt, illam usque ad Sedis Apost. beneplacitum suspendit.

3. *Ad conditorem*.—Dominium rerum, quæ perveniebant ad Fratres Minores retentum ab Ecclesiâ Romana, simplici usu facti Fratribus ipsis reservato, in Constit. *Exiit* suprâ 3. Pontifex refutat, probans eos non posse habere in re aliqua simplicem usum facti. Et statuit, quòd de cetero nullum jus, nullumque dominium habeat Ecclesiâ Romana in rebus consumptibilibus, quæ imposterum conferentur vel offerentur ipsis Fratribus.

4. *Cùm inter*.—Opinio, quæ asserit Christum et ejus discipulos nihil habuisse, et in his, quæ habuerunt nullum jus ei fuisse, erronea est et hæretica.

5. *Quia*.—Reprobatur opinio præsumptium impugnare Constitutiones ejusdem Joann. XXII. *Ad conditorem* 3., et *Cùm inter* 4. suprâ. Et declarantur tanquam hæretici et Romanæ Ecclesiæ rebelles ab omnibus evitandi, si deinceps scienter verbo vel scripto defendere vel approbare contra illas præsumperint.—In hac Constit. agitur de materia clavium. "

TIT. XLI.—DE REGULIS JURIS.

Vide Auctorem h. t.

1 Joan. XXII. Aven.
2 Idem.
3 Idem.

4 Idem.
5 Idem.

ELENCHUS I.

Decretalium expresse vel tacite correctarum a posterioribus Decretalibus, partim abrogatione, partim derogatione, partim moderatione; servato ordine titularum ac capitulorum in unoquoque libro.

LIBER QUARTUS.

TIT. I.—DE SPONSALIBUS.

54. Decretali Alex. III. relatæ in cap. *Non est* 11. prohibentis tempore generalis interdicti celebrationem divinorum officiorum et Sacramentorum administrationem, exceptis baptismo parvulorum, et pœnitentia pro morientibus, derogatum est à Bonif. VIII. cap. *Quoniam* 19. de sentent. excom. in 6. permittente baptismum et confirmationem administrari posse etiam adultis: et permittente alia quamplurima cap. *Alma mater* ut infrâ n. 69.

TIT. XIII.—DE EO, QUI COGNOVIT etc.

55. Decretali relatæ in c. *Si quis* 1. recensens inter impedimenta impedientia matrimonium cum quacumque persona contrahendum, crimen incestus commissi cum propriis consanguineis, vel conjugis, abrogata est à contraria consuetudine, de qua vide notata suprâ n. 21 et 22.

56. Decretali Alex. III. relatæ in c. *Veniens* 2. statuentis, eum qui post matrimonium contractum cognovit consanguineam uxoris suæ, impediri, ea mortua, ad contrahendum cum quacumque alia, sicut et si incestuosus fuerit ante matrimonium, abrogata est ut suprâ n. 22.

57. Decretali Cœlest. III. relatæ in cap. *Transmissa* 4. idem statuentis, abrogata est ut suprâ.

LIBER QUINTUS.

TIT. III.—DE SIMONIA.

58. Decretali Alex. III. relatæ in c. *Insinuatum* 13. statuentis, simoniacum manifestum amovendum esse à beneficio, tacitè derogatum est, seu ampliata à Paulo II. cap. *Cùm detestabile* 2. hoc eod. tit. in Extrav. Comm. declarante simoniacum tam manifestum, quàm ocul-

tum cujuscumque conditionis sit, etiam Cardinalatus honore fulgentem, ipso facto privatum beneficio simoniacè acquisito; et tenèri ad illius dimissionem, et fructuum restitutionem ante omnem declarationem; sicuti et ex Constit. S. Pii V. *Cum primum* §. 8.

59. Decretalis Alex. III. relata in cap. *Veniens* 19. statuens, superiores regulares simoniacè accipientes aliquem ad habitum suspendendos esse ab officio, et sic receptum ingredi debere aliud monasterium, ampliata est ab Innoc. III. cap. *Dilectus* 30. et cap. *Quonium* 40 hoc eod. tit. extendente hanc prohibitionem ad Regulares utriusque sexus; pœnam verò egressus è monasterio, in quo recepti vel receptæ sunt, in locum arctioris regulæ ad agendam perpetuam pœnitentiam, tam ad recipientes, quàm ad receptos seu receptas, ut in cit. cap. *Quonium*.

60. Eadem Decretalis ampliata est ab Urb. V. cap. *Sanè* 1. hoc eod. tit. in Extravag. comm. addente excommunicationem ipso facto tam in dantes, quàm in recipientes Regulares pariter utriusque sexus: suspensionem verò, si capitulum, et conventus fuerit, ipso jure, quas pœnas Papæ reservat. Hanc tamen suspensionem Thes. de Pœn. verb. *Simonia* c. 10. n. 1. sentit intelligendam esse non ab officio et beneficio, sed ab officio tantum capitulari, seu administratione.

TIT. V.—DE MAGISTRIS.

61. Decretalis Honorii IV. relata in cap. *Super specula* 5. indulgentis beneficiatis tam doctentibus theologiam, quàm huic studentibus integram perceptionem fructuum suorum beneficiorum, et præbendarum per quinquenium ob hanc causam non residentibus, ampliata est à Bonif. VIII. cap. *Cum ex eo* 34. de elect. in 6. impertientis hujusmodi gratiam etiam beneficiatis curam animarum habentibus cum Episcoporum, seu suorum superiorum dispensatione per septennium. Vide notata suprâ n. 6.

TIT. VI.—DE JUDÆIS.

62. Decretalis Conc. Later. relata in cap. *Ità quorundam* 6. excommunicantis Christianos deferentes arma, et alia facientia ad belli apparatus ad Saracenos; aut gubernationem exercentes in eorum piraticis navibus, ampliata est ab Innoc. III. cap. *Ad liberandam* 17. eod. tit. addente pœnam satisfactionis tempore absolutionis faciendæ in favorem terræ sanctæ. Verùm hæc censura et pœna non est in usu, cum hodie Terra Sancta ab Infidelibus detineatur.

TIT. XIX.—DE USURIS.

63. Decretalis Alex. III. relata in cap. *Quia* 3. statuentis usurarium manifestum decedentem in hoc peccato privandum esse Ecclesiastica sepultura, ex quo infertur ea non esse privandum, si pœnitens decedat, mandando, ut restituantur usuræ, prout notat Glos. in cap. *Quamquam* 2. hoc eod. tit. in 6. verb. *Mandaverint*, ampliata est à Greg. X. cit. cap. *Quamquam* hoc eod. tit. in 6. præscribente non

esse sepeliendum, licèt restitutionem mandaverit, nisi priùs vel facta sit restitutio, vel præstita idonea cautio de restituendo pro viribus hæreditatis.

TIT. XXXI.—DE EXCES. PRÆLATORUM.

64. Decretali Greg. IX. relata in cap. *Nimis* 17. permittentis Ordinibus Prædicatorum et Minorum novorum conventum erectionem de licentia tantum Ordinariorum, derogatum est à Bonif. VIII. cap. unic. *Cum ex eo* hoc eod. tit. in 6. præcipiente hos erigi non posse neque ab ipsis, neque ab aliis Ordinibus mendicantibus absque speciali Sedis Apostol. facultate.

TIT. XXXIII.—DE PRIVILEG.

65. Decretali Innoc. III. relata in cap. *Cum olim* 14. statuentis cognitionem causarum committi posse à Sede Apostol. etiam simplici monacho, derogatum est ut suprâ n. 16.

IN EXTRAV. COMM.

66. Decretali Bened. XI. relata in cap. *Inter cunctas* 1. qua concedebantur plura privilegia Ordinibus Prædicatorum et Minorum circa prædicationem Verbi Dei, confessionum auditionem et sepulturas, derogatum est à Clem. V. cap. *Dudum* 2. de Sepul. præscribente, quomodo et quando his privilegiis uti possint.

67. Per citat. Decretal. *Inter cunctas* derogatum fuerat Decretali Bonif. VIII. *Super Cathedram* 2. de Sepul. in Extravag. Comm.

TIT. XXXVIII.—DE POENIT ET REMIS.

68. Decretalis relata in cap. *Qui Presbyterum* 2. recensens inter impedimenta matrimonii impediencia Presbytericidium, abrogata est per contrariam consuetudinem, ut suprâ n. 21.

69. Decretalis Innoc. IV. relata in cap. *Quod in te* 11. statuentis ut tempore generalis interdicti sive à Jure, sive ab homine nulla publicè divina celebrentur officia vel Ecclesiastica Sacramenta ministrentur, excepta pœnitentia, et viatico pro morientibus, ac pœnitentia pro cruce signatis et peregrinis, limitata est à Bonif. VIII. cap. *Alma mater* 24. de sent. excom. in 6, et ibi Glos. permittente:—1.º Ut quilibet fidelis etiam corpore sanus admitti possit ad Sacramentum pœnitentiæ, modò non sit excommunicatus.—2.º Ut in Ecclesiis et monasteriis in loco interdicto sitis specialiter non interdictis, dummodò nullam causam interdicto dederint celebrari possint missæ, aliaque divina officia sicut priùs; submissa tamen voce, jannuis clausis, non pulsatis campanis et interdictis exclusis.—3.º Ut acquiri vel amitti possint ex clericorum præsentia vel absentia distributiones quotidianæ.—4.º Ut in festivitibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, et Assumptionis Beatæ Virg. pulsari queant campanæ, admissis etiam interdictis, dummodò qui sua culpa causam interdicto dederunt, Altari non appropinquent. A Martino V. Constit. *Ineffabili*, addita est

festivitas Corporis Christi cum octava: et à Clem. VIII. Constit. *Sacræ*, 17 Oct. 1595. respectu fratrum Minorum S. Francisci, festivitates ejusdem S. Francisci, Bonaventuræ, Antonii de Padua, Ludovici, Bernardini, Claræ, Elisabeth, ac Martyrum ejusdem Ordinis, Didaci et Portiunculæ.

70. Decretali Innoc. III. relatæ in cap. *Omnis utriusque* 12. præcipientis ab omnibus semel in anno peccatorum suorum confessionem faciendam esse cum proprio sacerdote, id est, parcho; vel cum alio sacerdote de ipsius parochi licentia, ac proinde, ut clarè deducitur ex cap. *Ne dilatione* 16. hoc eod. tit. ab omnibus parochianis tam laicis, quam Sacerdotibus et Clericis faciendam cum proprio parcho, à parochis cum proprio Episcopo, ab Episcopis cum proprio Archiepiscopo; ab Archiepiscopis cum proprio Patriarcha, à Patriarchis et aliis Prælatiis immediatè Papæ subjectis seu non habentibus supra se alium superiorem, ut Cardinales, cum Papa aut cum majori ejus Pœnitentiario, derogatum est quoad Episcopos, aliosque superiores et minores Prælatos exemptos à Greg. IX. cit. cap. *Ne pro dilatione*, iis tribuente facultatem sibi eligendi discretum confessarium sine licentia propriorum respectivè sacerdotum. Quoad reliquos verò respectu confessorum sæcularium tacitè derogatum est à Concilio Trident. sess. 14. c. 7. de reform. tribuente facultatem absolvendi cuicumque Sacerdoti à proprio Episcopo approbato, qui est primarius omnium suorum subditorum sacerdos. Respectu tandem confessorum Regularium, præter Trident. derogatum est à Clem. V. cap. *Dudum* 2. in Clem. §. *Statuimus*, et à Joan. XXII. cap. *Vas electionis* 2. de hæret. in Extr. Comm. tribuentibus facultatem iisdem audiendi sæcularium confessiones, etiam cum declaratione, quòd per hujusmodi confessiones satisfiat Ecclesiæ præcepto, de quo in cit. cap. *Omnis*. Intellige tamen, si dicti Regulares approbati fuerint ab Episcopo diocesano justà Constit. Clem. X. *Superna*.

TIT. XXXIX.—DE SENTEN. EXCOMM.

71. Decretalis Clem. III. relatæ in cap. *Cùm non ab homine* 14. decernentis vitandum esse percussorem Clerici licèt occultum, restricta est à Martino V. Constit. *Ad evitanda*, 11 Kalen. Febr. 1435. per extensum relatæ à Covarruvias par. 1. de sent. excom. statuente esse tantùm vitandos notorium percussorem clerici, ac eos, qui publicè et nominatim denunciati sunt ut evitandi.

72. Decretalis ejusdem relatæ in cap. *Cùm desideres* 15. decernentis vitandum esse diffamatum de excommunicatione, restricta est, ut suprà.

73. Decretali Innoc. III. relatæ in cap. *Quod in dubiis* 30 juncto cap. *Excellentissimus* 11. q. 3. ex quibus infertur ferri posse à quocumque ecclesiastico giudice excommunicationem, excommunicando etiam eodem contextu v. g. Titium cum participibus suis, derogatum est ab Innocentio IV. cap. *Statuimus* 3 et à Greg. X. cap. *Constitutio-*

nem 9 hoc eod. tit. in 6. inhibentibus inferiori judici à Papa ferre excommunicationem generalem contra participantes cum excommunicato à se; ac præcipientibus ferri posse solùm specialem, trina canonica monitione præmissa, vel unica pro tribus contra nominatim expressos v. g. monendo Cajum et Sejum, ne cum Titio communicent.

74. Decretalis ejusdem relatæ in cap. *Responso* 43. statuentis, ne tempore generalis interdicti ulla divina officia celebrentur nec administrantur sacramenta, exceptis baptismo parvulorum, confirmatione et pœnitentia pro morientibus, limitata est ut suprà n. 69.

75. Decretalis Greg. IX. relatæ in cap. *Permittimus* 57. indulgentis tempore generalis interdicti semel tantùm in hebdomada celebrari posse missam, januis clausis, et sine campanarum sono ad conficiendum Corpus Christi pro morientibus, limitata est ut suprà n. 69.

IN SEXTO.

76. Decretali Innoc. IV. relatæ in cap. *Cùm medicinalis* 1. declarantis ipso facto interdictos per unum mensem ab ingressu Ecclesiæ et à divinis officiis suspensos quoscumque Ecclesiarum Prælatos et Judices ferre præsumentes excommunicationis, interdicti et suspensionis censuras in aliquem sine scriptura et expressione causæ earumdem respectivè censurarum, et absque exemplari dictæ scripturæ reo tradendo intra mensem, eo requirente, derogatum est, seu veriùs adjecta est declaratio ab eodem Pontifice cap. *Quia periculosum* 4. hoc eod. tit.; quoad Episcopos eorumque Superiores, id est Archiepiscopos, Patriarchas et Primates, hos scilicet (licet et ipsi veniant sub nomine Prælatorum) non servantes hujusmodi formam non incurrere sententiam interdicti et suspensionis, nisi de iisdem in quacumque constitutione, sententia vel mandato dictas censuras infligentibus expressa mentio habeatur.

An verò incurrant etiam excommunicationem, si non exprimantur, alii affirmant, alii negant propter Glossæ contradictionem in hoc eod. cap. *Quia periculosum*, tam in casu, quàm in verbo *Suspensionis*.

77. Decretalis ejusdem relatæ in cap. *Statuimus* 3. decernentis participantem cum excommunicatis excommunicatione majori in ea parte, quæ solùm inducit excommunicationem minorem, ligari non posse eadem majori excommunicatione, non præmissa monitione canonica, ampliata est, seu potiùs declarata à Greg. X. cap. *Constitutiones* 9. hoc eod. tit. statuente ligari non posse, adhuc hac monitione præmissa, nisi in ea nominatim exprimat participans.

78. Decretalis Greg. X. relatæ in cit. cap. *Constitutionem* 9. decernentis ut suprà, ampliata est à Bonif. VIII. cap. *Statutum* 13. hoc eod. tit. extendente dictam Gregorii declarationem etiam ad sententias suspensionis, et interdicti, si suspendendi et interdicendi in ipsis nominatim non exprimantur.

TIT. XL.—DE VERROR. SIGNIFICAT.—IN SEXTO.

79. Decretalis Nicol. III. relata in cap. *Exiit qui seminat* 3. fulminantis §. *Itaque* excommunicationem ipso facto incurrendam Papæ reservatam, aliasque pœnas contra Glossantes hanc eandem decretalem, moderata est à Joan. XXII. cap. *Quia nonnunquam* hoc eod. tit. dictas pœnas suspendente usque ad Sedis Apostolicæ beneplacitum.

ELENCHUS II.

Decretalium correctarum a Sacro Concilio Tridentino, partim abrogatione, partim derogatione, partim moderatione, servato ordine titularum ac capitulorum in unoquoque libro.

LIBER QUARTUS.

TIT. I.—DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIIS.

134. Decretalis Conc. Triburien. relata in cap. *De Francia* 1. statuentis matrimonium solo consensu contrahi, abrogata est sess. 24. cap. 1. de refor. matrim. §. *Qui aliter* nullum illud declarante, si aliter, quam præsentem Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius aut Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus contrahatur.

135. Decretalis Alex. III. relata in cap. *Ad audientiam* 4. extendentis impedimentum publicæ honestatis ortum ex sponsalibus contractis cum consanguinea usque ad quartum gradum, moderata est cit. session. 24. cap. 3. illud extendente ad primum tantum, si sponsalia valida sint: declarante insuper nullum oriri impedimentum, si quacumque ratione nulla sint. Ortum verò ex matrimonio tantum ratio extenditur usque ad quartum ex Constit. S. Pii V. *Ad Romanum* an. 1568.

136. Decretalis ejusdem relata in cap. *Sponsam* 8. idem impedimentum statuens, moderata est ut suprâ.

137. Decretalis ejusdem relata in cap. *Veniens* 15. statuentis sponsalia de futuro transire in matrimonium per carnalem copulam subsequutam, abrogata est ut suprâ n. 134.

138. Decretalis Greg. IX. relata in cap. *Is qui* 30. idem statuentis, abrogata est ut suprâ.

139. Decretalis ejusdem relata in cap. *Adole scens* 32. statuentis invalidum matrimonium ex copula intentata et non sequuta, ac ex contrario sensu validum, si sequuta sit, abrogata est ut suprâ.

IN SEXTO.

140. Decretalis Bonif. VIII. relata in cap. unic. *Ex sponsalibus* statuentis ex sponsalibus de futuro etiam nullis (dummodo non fuerint nulla ex defectu consensus) oriri impedimentum publicæ honestatis, et matrimonium dirimere usque ad quartum gradum inclusivè, abrogata est, ut suprâ n. 135.

TIT. III.—DE CLANDESTIN. DESPONSAT.

141. Decretalis Conc. Arelaten. relata in cap. *Si quis* 1. validum